



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Societas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

latio autem secundum quam aliquid fingitur ad aliquid significandum, sicut Christus finxit se longius ire, peccatum non est, quia mendacium non est, sed veritatis figura. Tho. secunda secunda. q. 3. a. 2. ad 1.

² SIMVLARE ad occultandū peccatum proprium, quando illud confiteri non est necesse, peccatum non est, sed laudabile, ne alij scandalizetur. supra, Fictio. §. 3.

³ PORTANS habitum religiosi, vel clerici, & non ut religiosus, vel clericus, non est simulator, vel hypocrita, nisi assumat illum habitum ad se ostendendum iustum: quia de hypocrita dicitur. Omnia faciunt, ut appareant hominibus.

⁴ SIMVLATIO secundum Tho. supra, 3. opponitur directē veritati, indirectē autem omni virtuti.

SOCIETAS.

¹ SOCIETAS plurimum personarū in mercantia, vel artificis, aut in animalibus, multis modis fit, ut dicitur, & redditur illicita duplici via.

Prima, si capitale vnus stet sub lucro & non sub damno, hoc enim iniquū est. Ut si Titius ponat C. duca. si perdantur, vult quod omnino sibi restituantur. Secunda est, si lucrum, aut damnum non respondeat proportionabiliter socijs, vnicuique pro rata sua, tunc enim esset iniquitas ibi: quia inaequalitas esset iustitiae. ad hoc f. c. glo. in can. plerique. 14. q. 3. ff. pro soc. l. si non fuerint.

² ADVERTENDVM est, qd in huiusmodi societatibus, dū vnus ponit pecuniam, & alius industriā, & laborem, seu operā, de natura huiusmodi societatis est, quod ponens pecuniam substat duplici periculo, scilicet perditionis pecuniae, & vlus negotij. Ponēs verō operas substat tantū vni, scilicet periculo perditionis operarū & industriae: & quia hoc est de natura huius contractus, licet periculum non sit æquale, tamen est licitus contractus. Concor. Cate. ver. societas.

³ ADVERTERE etiam, quod euentus societatis tribus modis contingere po-

test: quia quādoquē in fine inuenitur tantū capitale sine lucro, quandoquē damnum capitalis in toto, vel in parte, quandoquē capitale cum lucro. Si est damnum capitalis, quomodo cūque sit totum, qui posuit, sustinebit: quia est semper dominus pecuniae. Si capitale in totum vel in partem remāsit, erit domini, & qui posuit operam, perdet. Si autem vltra capitale est lucrum capitale, integrum restituetur domino, & lucrum æquis diuidetur portionibus, si tamē capitale & industria æquiualeant, quod vit prudens, & practicus in huiusmodi consideratis omnibus arbitrabitur.

⁴ DE animalium verō societatibus, credo standū esse consuetudini, vbi tractantur, nec certam regulā dari posse. Sequenda est igitur consuetudo, nisi de manifesta iniustitia in ipsis societatibus cōstaret, quādo scilicet vna pars valdē & clarē grauaretur plūs quā alia: pro regula ergo potest esse æqualitas iustitiæ ad arbitrium proborū hominum in huiusmodi negotijs practi corum. Scribi autem casuum multiplicitas nequaquam potest. Vide tamen infra, §. 19. vsque ad finem.

⁵ SI pro communi regula quod in societatibus, in quibus non est vsura, nec iniustitia, non est peccatū. Vsura esse non potest, quando id quod ponitur, stat periculo ponētis: quia tunc ibi nō est mutuū: nō est etiā iniustitia, quando vna pars non plūs grauatur quā altera, arbitrio bonorum hominum, & in hac arte prudentium.

⁶ SOCIETAS, in qua quis ponit pecuniam, alter operam, vel vterque ponit operā & pecuniā æqualiter, vel vnus ponit pecuniam & operam, alter operā tantū, vel vnus pecuniā, & operam, alter tantū pecuniā, est licita, dū modō primō talis negotiatio, vel ars non sit aliqua lege prohibita. Secundō, quod periculū pecuniæ stet penes deponentem. Tertiō, quod seruetur æquitas proportionabiliter: ita quod qui plus posuit de pecunia, vel labore, plus lucretur. Deponens pecuniā apud mercatorem cum inten-

M s tione.

sione, vel pacto, ut saluo capitale ali-
quid lucretur, est usurarius: quia hic
est mutuum. c. usura 14. q. 3. & Rich.
in 4. senten. d. 15. Nec excusat pericu-
lum cui substat pecunia: quia lucrum
non seperatur ratione periculi mutui
ex quo non licet lucrum percipere, et-
iam si periculum interueniat: ut patet
expresse in cap. nauiganti. de usur. Nec
excusat, quod depositarius multum la-
oretur: quia lucrum est propter indu-
striam eius. Si autem primo fiat con-
tractus, quod periculum pecunie stet
apud deponentem, postmodum depo-
sitarium assureret deponentem de capi-
talis salute, recipiendo tria, vel duo pro
centenario, vel defalcando de lucro,
utputa sic. Ista pecunia verisimiliter lu-
crabitur 8. pro centenario: sed quia vo-
lo te assurecare de capitali, conuenio
tecum dare tantum 5. pro centenario.
Hic contractus est licitus: quia etiam
qui non socius est, potuisset hoc mo-
do illum assurecare, ergo nec minus
potest dum est socius, dummodò in-
tentio sit, quod hoc fiat propter assen-
sionem. Possunt etiam conuenire sic,
quod assurecatus tantum soluet, & lu-
crum totum diuidatur. Concord. Sil.
ver. societas, §. 2.

7 L I C I T U M est ponenti operam fa-
cere pactum, quod nolit operam suas
perdere, etiam quod capitale perdere-
tur: sed vult tantum pro opera sua, et-
iam quod nullum inde sequeretur lu-
crum: quia tunc non est socius, sed sua-
rum operarum locator. Intellige si op-
pus suum tantum meretur, & quod
damnum, si quod sequitur, non sequa-
tur ex dolo, vel culpa eius. aliter non
iuste reciperet pro opere quod est pro-
missum.

8 N O N licet dare pecuniam in socie-
tate cum pacto & instrumento de ca-
pite, saluo, licet hoc non intendatur,
sed solum hoc sit pro securitate depo-
nentis, ut scilicet mercator times per-
dere capitale magis faciat debitum suum
negotio: quia sic mentiendo mor-
taliter peccat: quia est medicium per-
nitiosum in sui infamiam. 22. q. 2. c. 1.
& tenetur intentione suam manifesta

re propter periculum: quia potest vo-
luntatem in futurum mutare, & sic re-
petere capitale, potest etiam mori ab-
intestatio, & heredes eius possunt pe-
tere, & sic sequeretur damnum proxi-
mi, & infamia sui. & quia hoc perni-
tiosum est & famæ, & animæ: ideo sic
ri non debet.

9 N O N licet dare mercatori certam
quantitatem pecunie cum pacto, &
vna pars sit salua, & cum periculo alte-
rius partis: quia ratione partis salua
esset mutuum, & consequenter usura,
vel saltem in honesta societate: quia mer-
cator posset perdere operam, & illam
partem capitalis, & sic non esset æqua-
litas in isto contractu, contra quod sa-
pra dictum est, §. 2. propterea licitum
non censetur.

10 C O N T R A C T U S, in quo sit pactum
quod periculum pecunie sit com-
mune, est licitus, si pecunia fiat com-
munita ita quod in fine, si capitale superest, in
totum, vel in partem diuidatur, & in
hoc sensu debet intelligi glossa. 14. q. 3.
in c. plerique. Quæ dicit hunc contra-
ctum esse licitum: & Panor. in ca. pet-
vestras. de dona. inter vir. & vxor. & a-
lij doct. & si non ponatur ista clausula,
quod in fine capitale diuidatur, nihil-
ominus intelligitur, ut contractus sit
licitus.

11 S I duo ponunt pecuniam, & ope-
ram, sed alter pecuniam in duplo, reci-
piet hic maiorem vtilitatem ex lucro,
secundum quod maiorem posuit pecu-
niam proportionabiliter, nisi indu-
stria alterius præponderet pecunie i-
stius. Tunc enim maior labor seu in-
dustria equabit maiorem pecuniam.
ff. de regul. iur. l. secundum naturam.
& ff. pro socio. l. si non fuerint. Et hoc
arbitrabitur iudex, etiam si in pacto
non sit expressum. l. si societatem. ff.
pro socio.

12 L V C R A, & damna obuentionis
contemplatione societatis sunt diui-
denda inter socios, non autem venien-
tia contemplatione personæ, licet so-
cietas fuerit occasio. l. cum duobus. ff.
quidam sagrariam. ff. pro socio. & ibi
Bar. Nam si alter sociorum vadens ad
na-

mundinas, vt negotietur pro societate, & in via ab inimico occidatur, vel vulneratur, ratione inimicitiz personalis, quod nō euenisset, nisi illus accessisset negotiando pro societate, damnus erit proprium, & non commune. Sic & de lucro, vt si inuenit lapidem pretiosum, erit proprium sibi, & non commune. Licet non inuenisset, nisi ille lucu iuisset. Ad hoc facit l. socium. ff. pro socio.

¹³ PONENTIS operas debet habere expensas, quas facit ratione societatis. secundum Iaco. de Aten. l. i. c. pro soc. quia lucram intelligitur deductis expensis. c. de codicil. l. illud. Intellige exceptis his, quas domi fecisset: vt limitat Bal. in l. Mutius. ff. pro soc. vel nisi cōsuetudo aliter habeat: secundū Ang. qua debet seruari, nisi contineat apertam iniquitatem: quia actum videtur quod est consuetum. ff. de ædificat. l. quod si nolit.

¹⁴ Si contraxi cum Titio societatem vsque ad decennium, & ante perditur capitale, finita est societas, & nō tenetur qui posuit capitale: secundum gl. in d. l. si non fuerint. Si autem non totum petijt, sed pars, & parū restat, & alter non tenetur ponere operam, quæ magna est, pro tam parua quantitate capitale: secundum æquitatem, & secundum Bald. in lib. i. cap. pro socio. & hoc æquum est. l. ita autem. ff. de adm. tut.

¹⁵ Si do pecuniam meā Sempronio, cum pacto quod reddat, vel lucretur mihi sicut reddet, vel lucretur pecunia, quā dedi Titio mercatori, & tamē Sempronius nō exerceat eam in negotiatione, contractus est illicitus, & nō possum aliquid ultra capitale accipere secundum Inn. de vsu c. fi. & Ioan. And. Pecunia enim ex se non est lustrosa. c. c. c. i. c. i. de tamen si eram daturus hanc pecuniam mercatori, & dedi Titio, vt seruirem, & non vt semper eam habeat, & non erā obligatus ex præcepto mutuate, possum petere meum interesse, hoc est lucrum, quod cessat, recipiendo tamen pericula, & expensas in me ipso: secundum Host.

& ratio est, quia non teneor seruire tibi cum damno meo.

¹⁶ SOCRATES dat Platoni M. duca-ros Romanæ, cū pacto q̄ recipiat Lugduni quingenta, si perierint. Si saluerunt 1100. hic casus nō est licitus: secundum Host. & per prædicta: quia vult partem capitalis saluam esse, & si Plato mercator expendat in mercantiam, vult lucrum de re nō sua, vnde contractus vsurarius est, quia partem capitalis vult saluam.

¹⁷ Si do tibi pecuniam pro mercantia subiiciendo me periculo capitalis, si per fortunam pereat, possum tecum cōuenire de certa quantitate lucri, dū modò sit competens, siue lucrum sit, siue non, siue sit magnum, siue paruum: quia ego videor vendere lucrum futurum ex mea pecunia, & tua opera, & tu videris emere, sicut aliquando emuntur fructus futuri ex agro: secundum Girne. Odo.

¹⁸ RECEPIENS Mediolani pecuniā portandā Londres, & ibi restituendam pro certo pretio, siue recipiat in se periculū, siue non, non committit vsuram: secundum Inn. in c. fi. de vsu. quia operarum, siue custodiz locatio est, vel assicuratio. Secus si ad negotiandum detur.

¹⁹ DE sociis animalium sit pro generali regula, quod capitale non stet in toto, vel in parte periculo accipientis, quantum ad casum fortuitum, nisi in teruenerit contractus assicurationis, sic non poterit vsura interuenire, & quod ad arbitrium boni viri altera pars non nimis grauetur, omnibus circumstantijs consideratis: & sic non poterit esse iniustitia, eritq; licitus contractus.

²⁰ CVM animalia dantur ad custodiam, ita q̄ dominus cōducit rusticū ad custodiam pro mercede: vel rusticus conducit animalia, vt habeat lac, & fructū, contractus erit licitus, dum modò merces sit moderata ad arbitrium boni hominis. Et cum sint isti contractus quædam locatio, seruanda sunt, quæ suprā de locatione sunt dicta, etiam quo ad pericula. de depo. c. fi.

e. si aliter non essent rectè facti.

²¹ P L A T O dat alicui, etiam monasterio, oves quædam cã pacto, quod pro qualibet annuatim reddantur sibi duo, vel tres solidi, vsque dũ vixerit, etiam quod dicitur oves moriantur, cum tamen possit pro eis duplũ reddi: & post mortẽ tradentis omnes sint monasterij, vel illius, cui sunt traditę, cõtractus est licitus, & tenetur accipiens soluere etiam quod oves moriantur, nisi à principio cõtractus fuissent infectę, & accipiens non aduertisset. secundũ Ioã. de Lign. & si venerit mortalitas ouium, monasterium restitutionem repetere non poterit.

²² S i do Petro animalia æstimata in omni euentu, tunc censentur vendita: quia & si æstimatio non semper faciat venditionem. facit tamen in isto casu: secundũ Bar. in l. si vt certo. ff. cõmo. & pretium interim dilatum habetur vt mutuũ, vt est in venditione ad tempus, cõtractus erit licitus, si totũ damnum, & lucrũ sit accipientis: secundũ Veruer. & dans non poterit habere nisi pretij æstimationis: quia omne accedens sorti, esset vsura. c. consuluit. & c. in ciuitate. de vsur. nisi accipiens esset in mora soluendi, propter quod dans acciperet aliquid pro interesse, vel dano, quod posset de conscientia, & de iure canonico. in c. cõquestus. de vsur. Si autem do æstimata, nõ vt soluat Petrus si casu fortuito pereant, sed si ex eius culpa, est cõtractus licitus, & est societas, & possunt habere partem fructus: quia hic non est venditio, nec mutuũ. Sed videtur cõtractus quidam innominatus, non continens aliquod iniustum.

²³ N O N videtur posse fieri pactum, quod periculum animalis in æstimati dati in socidam stet nisi apud datẽ, quia altera pars plus grauaretur, excepto, si dans in alio plus grauaretur, vt quia accipiens non vult teneri de interitu illius ex culpa sua, nisi pro parte: quia grauatus in vno, est reuelandus in alio. l. secundum naturam. ff. de re. iur. nec quod prædictũ animal in fine societatis sit præcipuum ponentis: se-

cundum Angel. Pacta autem de factu, vel pensione animalis debent fieri iuxta equam consuetudinem, arbitrio boni hominis. Similiter in pactis de tempore consuetudo debet seruari. Nam aliqua animalia in vno anno complent, vt perci, aliqua in annis quatuor, vel quinque. Et si nescitur consuetudo, stabitur arbitrio boni hominis in huiusmodi practici: quod si nõ est factum pactũ aliquod, seruabitur æqua consuetudo, quia actũ videtur, quod consuetum est. l. quod si noluit. ff. de ædilectis.

²⁴ D A N' s vaccã, & vitulum nutritos Ioãni vsque ad annũ, in fine anni vendendos, cum pacto, quod dans accipiat suum capitale. & stet pericula fortunę, Ioãni, tamen nihil satisfaciatur, si minoris vendantur in fine anni, quã valebant quando dati sunt, & lucrũ si fuerit, æquis portionibus diuidatur, non peccat, & cõtractus est licitus: secundũ Arch. Flo. quia vterque se fortunę exponit, hic de capitali, ille de lucro, & nõ magis videtur vna pars grauari, quã alia. Idem tenet. Sil. ver. Societas. 2. q. 7.

²⁵ P E T R U S dat Antonio par boum pro honesta pensione annuali, retinens in se periculum fortuitum boum. illa est locatio licita, secus quando periculum staret apud accipientem: quia tunc vna pars esset secuta, altera verò sub periculo, & sic cõtractus esset illicitus propter salutem capitalis.

²⁶ P E T R U S dat Laurẽtio duas vaccas ad arandum, cum pacto quod de primis eorũ fructibus Petrus accipiat medietatem pretij earum, deinde sint communes danti & accipienti cũ fructibus, cum hoc etiam pacto, vt Laurentius det Petro omni anno sextariũ frumẽti. Hęc est magis locatio, quã societas, & est licita. quia Petrus locat vnam vaccam, quæ sua est, & quia arat, & fructificat, ideo habet sextariũ frumẽti, & partem fructus. Multis modis possunt huiusmodi cõtractus variari, sed si attendantur quæ dicta sunt supra in regulis, omnia soluentur faciliter.

27 § 1 quis emit ab aliquo vaccam, vel oves, quas in veritate non habet: & eadem venditori emens dat in fociam sub certa p̄sione, si emens sciuit quod non habebat, vsura esse videtur, quia mutuum est. Si verò bona fide emit, non peccat quandiu durat bona fides. Cum primùm autem constiterit de veritate, contractus debet rescindi, quia tunc cessat bona fides. In his igitur societatibus siue contractibus aduertatur, quod non interueniat vsura ex mutuo explicito, vel implicito, neque iniustitia ex aggravatione vnius partis magis quàm alterius, & tunc plana sient omnia, si etiam consuetudo locorum, & arbitrium bonorum viro- rum seruentur.

28 **SOCIETAS** aliquorum seculariũ qui non sunt religiosi, vt disciplinato- rum, & huiusmodi, & quorundam aliorum, qui nõ sunt propriè religiosi, quia non profitentur tria vota, vt Iosuacorum, Azurinatorum, & quorundã aliorum sunt licitæ, si ex iusta causa fiant, possuntq; facere statutũ ex honesta causa, vt omnes ingredientes tantum soluunt: secundum Per. de Peru. in tractat. de can. portio. ar. in can. nõ exemplo. 16. q. 2. & debet intelligi, si potest soluere, aliter esset iniquum statutum, & debet fieri per verba affirmatiua, & non negatiua c. ad apostolicam. de simo. Possunt etiam percipere oblationes, quas ipsi ex suis pecunijs faciunt, vt eis vtantur circa altare, quia hæc nõ videntur oblata ecclesie, vel altari. Similiter si quid offeratur societati teo- rum, & non altari, vt legata quæ sunt societatibus.

29 **ALII** autem religiosi, qui propriè non sunt religiosi: quia non fiunt tria vota solenniter, si cõtrahunt matrimo- nium, tenet, etiam si iurassent nõc con- trahere, quia hoc non est de impedi- mentis dirimentibus contractum ma- trimonium, licet illicitè contrahant, si iurauerunt non cõtrahere. supr. Ma- trimonium, §. 3. possunt tenere pecu- nias datas intuitu propriæ personæ ex vi suarum constitutionum, quia votũ paupertatis non habent, nisi partieu-

lariter se obligauerint, vel eorũ cõsue- tudo aliter habeat, vt quia, alij ponunt in cõmuni, & huiusmodi. Tunc enim infideliter agerent, non ponendo in communi, cum alij ponant.

SODOMIA.

Sodomia, supra, Luxuria. §. 5. grauif- simum est peccatum, quomodo- cunque fiat contra naturam. Vitium Sodomiticum non est omnis actus lu- xuriz contra naturam, sed tantum ac- tus luxuriz, qui est inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, & eiusdem sexus: idè accedens ad brutum animal non dicitur Sodomiticè peccare, sed bestiali- ter: & accedens ad mulierem, etiam non seruato naturali vase, non dicitur So- domita, sed monstruose peccat: sed tunc Sodomita dicitur, cum sit concu- bitus non ad debitum sexum: vt si ma- sculus cum masculo, vel mulier cum muliere: secundum Thomam secun- da secunda. q. 154. a. 11. in c. Sexus enim femineus non est debitus pro concubitu femine, sed masculus, & econtrà.

SOLLICITVDO.

Sollicitudo circa temporalia quan- do in ipsis ponitur finis vltimus, est peccatum mortale, quia extra Deum finis statuitur, vel quando temporalibus tantum apponitur studium, quod quis à spiritualibus necessarijs ad salu- tẽ retrahitur, vel ita est anxius, quod de Deo diffidit, quod non provideat ei in necessarijs. Ideo dicitur Matth. 13. cap. Sollicitudo seculi suffocat ver- bum. Aliquando veniale est, vt cum quis nimis timet deficere sibi necessa- ria, idè anxie sollicitus est, nõ tamen desperat de providentia Dei, nec neces- saria ad salutẽ delinquit propter hoc: vt missam, confessionem, communio- nem, &c. Thom. secunda secunda. q. 53. artic. 7. & 7. Quid autem sit, vide Thom. secunda secunda. qu. 47. a. 9. ad 3.

SOLVTIO.

Solutio debita semper fieri debet se- cundum monetam, quæ tempore contractus debiti currebat, quæ si non inuenitur, vel quocunque alio modo, est per.